



60 P. Bd.

D<sub>9</sub>

+





IACOBI MARTINI SAXONIS, PROFES-  
SORIS LOGICI

Oratio

DE UTILITA-  
TE ET NECESSITA-  
TE LOGICES,

habita

*In praefectionis Logicae auspiciis anno 1602.  
d. 2. Augusti h. 9.*





VVITEBERGÆ

*Typis Cratonianis, per Iohannem Gorman.*

ANNO 1606.








REVERENDO MA-  
GNIFICO ET CLARISSIMO VI-  
RO Dn. POLYCARPO LYSERO SS. THEO-  
logiæ Doctori eximio, Serenissimo Saxoniz Electori à cõ-  
cionibus & consiliis Ecclesiasticis &c. Domino ac pro-  
motori suo honorando.

s.

 Dolecentes ingenui, literarumque ac bonarum artium studiosissimi cum Orationem hanc meam DE UTILITATE ET NECESSITATE LOGICES diligenter audivissent, præter auscultationem etiam meditationem accuratiorem adhibere cupiverunt, utque eam publici juris facerem, multis apud me institerunt. Nolui quidem honestæ illorum petitioni refragari: præpeditus tamen hæcenus variis, tam publicis, quam privatis exercitiis & negotiis, satisfacere neque illis neque mihi hæc in parte potui. Quando igitur jam acutissimo morbo, quo per aliquot menses miserè excruciatu fui, exantlato, vires quodammodo colligo, ne plane interim ociosus fuisse videar, & hanc & alteram illam PRO PHILOSOPHIA

A 2

oratiun-

Oratiunculam prelo subicere & publicare volui.  
 Offero autem tibi, vir magnifice & reverende, hoc,  
 quicquid est opusculi, atque ut M. & R. T. D. ob-  
 servantiam meam & animi gratitudinem declarem,  
 strenæ loco offero. Nunquam enim varii & summi  
 quidem tui in me promeriti memoria ex animo de-  
 lebitur. VViteberg: è Museo II. Calend. Ian. anno  
 1605.

T. M. & R. D.

*Studiosiss.*

M. Iacobus Martini.



LOGICES

L O G I C E S  
 IN INCLYTA VVI  
 TEBERGENSIUM ACADEMIA  
 S T V D I O S I S, S.



Ogicen omnibus disciplinis, artibus & facultatibus, imò universæ hominum societati & utilem & necessariam existere, neminem autumo esse, qui vel audeat vel inficias ire possit. Quandoquidem eo ipso, & Ratio ex homine & Lux atq; Sol è mundo tollendus argueretur. Etenim uti oculus sine luce; ita Rationem sine LOGICE regi *ἀδύνατον* videtur. Nā licet quidem spiritus optici è cerebro magnā copiā influant, pupillā oculus micet, situs in eo crystallinus humor effulgeat, detur etiam corpus *ἄσπερον*, & tandem objectum *τὸ ὄρατόν*: tamen quando non accedit lumen, quodā rebus coloratis species & simulacra eliciat, & à materiā educat, ut ad oculos deferantur, *ὄρασις* vel *ὄψις* fit nulla. Ita Ratio, quæ oculus mentis est, suffulta vel omnibus aliis adminiculis, sine Logice circa veritatem omnino cæcutit. Multorum enim accidentium quasi spectris quibusdam prastringitur, ut *ὁσίον* & veritatem in rebus cernere nequeat, aliud pro alio apprehendat, confusā non ritè dividat, divisa monstruosè componat: unde non nisi monstra & errores gignuntur in Intellectu: ubi contrā illa est veritas, & illi sunt veri conceptus, quos Logice non finit admixtione & corruptelā falforum depravari. Vt itaq; Lumen (quod de eo scitè dixit eruditissimus Scaliger) est actus coloris, non quidem ut sit, sed ut videatur: ita Logice actus veritatis, non quidem ut sit, sed ut ab intellectu apprehendatur; rectè dicitur.

PROGRAMMA

4  
 Siquidem Magistra hæc veritatis hoc de se pollicetur discen-  
 tibus, ut sine errore Verum à falso possimus discernere, Verum  
 ubique videre, tenere, defendere : & Verum quidem illud,  
 quod in omni disciplinarum genere præstantissimum est, in  
 quo Mens & Rationis, qua Homines præstamus brutis, cul-  
 tus & perfectio consistit, quando cognitione & contempla-  
 tione Veritatis proximè ad Divorum accedimus similitudinè  
 & cum celestibus quandam habemus cognationem. Quis ita-  
 que Logicæ non magnificet ? quis illam fastigium & culmè  
 omnium disciplinarum cum Platone non prædicabit ? quis non  
 reliquas scientias sine eâ propemodum inutiles statuet ? Luce-  
 bat quidem in Mente statim post creationem in Integritatis  
 statu perfecta, ut DEI, ita omnium rerum cognitio, virtutumq;  
 universalium coruscabant radii naturaliter : horribiles tamen  
 tenebræ huic rationis luci per lapsum primorum parentum  
 sunt offusæ, ita ut à primo ortu ad intelligendum vim habeat  
 vel omnino nullam, vel admodum exiguam. Progressu quidè  
 ætatis sensuum adminiculo, quibusdam notitiarum rudimentis  
 quodammodo informari incipit Mens : at propter illarum in-  
 choatarum ruditatem, confusionem & quasi chaos quoddam  
 plus detrimenti, quàm commodi nobis facultas hæc ratiocinã-  
 di adferre videtur. Testantur hoc tam multi perniciosi errores,  
 quibus non tam corporis fortunarumq; & privatarum perso-  
 narum & amplissimorum Regnorum status, integritas & in-  
 columitas; quàm ipsius animæ nostræ salus & felicitas, quæ  
 omnibus cæteris anteferenda, periclitatur, imò evertitur quæ  
 sæpissimè. Dum enim non omnibus idem, sed aliis aliud vide-  
 ture esse VERVM & BONVM, fit ut innumeris erroribus  
 & ignorantis confusissima sit vita nostra. Has enim Ingenio-  
 rum depravatio, morum perversitas, Iudiciorum in bonis &  
 malis rebus corruptio, & totius denique vitæ impietas statim  
 sequitur. Ignorantia. n. parit opinionè, quæ in errorib. versatur :

opinio



opinio fidem & assensum : his voluntates & iudicia reguntur : iudiciis voluntatibusq; tanquam cardinibus,volvuntur tandem omnia, quibus vita nostra vel beata vel misera esse potest. Cum itaq; tot malorum causa existat cecitas & caligo Mentis, cumq; Mens illas illuminare, & seipsam suæ integritati atque sinceritati restituere nesciat, L V M E N L O G I C V M est adhibendum, quod, ut præclare scriptum est à Platone, ex illo barbarico cano mentis oculum eruit, obscuris & incertis rationibus, adhibitis manifestioribus, lucem addit, ambigua monstrat, monstrata distinguit, consentanea conjungit, priora cum posterioribus comparat, colligit, concludit, falsa coarguit, refellit, in nullo offendit, atque ita mentem inscitæ VERI tenebris oppressam & quodammodo sepultam, ad Veritatis lucem revocat quasi reviviscentem. Hæc optimè considerantes pii Magistratus, quibus Academicarum cura commissa est, probèq; suo functi officio, utilissimam Reipub. literariæ navarunt operam, cum præter aliarum liberalium artium & facultatum, Logices quoque Professores in Academiis esse & alere voluerunt. Si enim verum est, quod habet Plato in Phadone : *ὄυ πισευτέον λόγοις ἀνευ τῆς περὶ τὰς λόγους τέχνης* : Fidem non habendam rationibus & argumentis sine Artis Dialecticæ peritiâ, merito, ubi omnis generis, in omnibus facultatibus & disciplinis, rationes proponuntur, audiuntur, examinantur; & Logice docetur, quâ quidem non ut populari trutinâ, sed tanquam artificis staterâ, omnium quæstionum veritas exquisitissimè pensitatur. Cum itaque me justis gravibusque de causis Nordam, quæ in Orientali Frisiâ est, linquentem, Deus opt. max. senatu nostro Academico denominante commendanteque, & Illustrissimo principe ac Domino Dn. Christiano II. Electore & Duce Saxonico, Domino meo clementissimè commendationi & denominationi clementissimè annuente, vocante & confirmante, ad Professionem Logices in



Academiam hanc adduxit, mearum partium esse intellexi, cū fide & studio in commissio isthoc munere versari. Quocirca etsi quidem de facultate & viribus meis, quas modicas tantum in me esse scio, promittere magna non audeo, hoc tamen sincerè & modestè polliceor; cum intelligam ad usum omne Institutum esse accommodandum; primam mihi fore curam, ut Organum Logicum tam ex D. Philippi Erotematibus, quàm ex ipsis Fontibus, Libris nimirum Logicis Aristotelicis, integrum & omnibus partibus absolutum proponatur fideliter: deinde alteram, ut dextrè eo & appositè nobiscum sciant uti discentes. Confido etiā, si DEI gratia, sine quā nihil possumus, hominumq; bonorum favor & benevolentia mihi adstiterit, haud irritum fore conatum hunc meum & studium, adeoque omnibus esse in progressu appariturum (qui modo æquis animis adspicere mea volent) ex re potius atq; opere ipso, quàm ex verbis & promissis speciosis gratiam ac laudem mihi querere voluisse. Hujus laboris nostri initium, Christo volente & auspice, faciam, si prius Oratiunculam ad Institutum hoc nostrum accommodatam, cras horā nonā premisero, ad quam omnes invitatos volo. Valete P. P. V Vitebergæ Calend. August. Anno 1602.

*M. Iacobus Martini Halberst. Saxo.*

ORATIO DE UTILI-  
TATE ET NECESSITATE  
LOGICES.

**N**escio quo pacto fiat, Magnifice Dn. Prorektor,  
Barones, virtutum & generis splendore illuz-  
stres, viri Reverendi, excellentissimi, claris-  
simi, gravissimiq; & tu nobilissima, ingenio-  
sissima, cultissimaq; Studiosorum corona, ut,  
ubi me quam constantissimum esse oporteret, ibi sim perturba-  
tissimus. Equidem si ostentatione ingenii abreptus, si aestu glo-  
ria inflammatus, aliove vitio instigatus, amplissimam hanc ca-  
thedram conscendissem: tum demum ausus temerarius animum  
timore percellere, tum demum pudorem mihi arrogans conatus  
deberet incutere. Verum mihi horum nihil sum conscius,  
quippe autoritate publicâ & officii ratione has dicendi partes  
mihi sumo. Unde igitur ingens hic metus, qui animum ad dicen-  
di studio fere abstrahit? Locus quidem hic ad dicendum amplis-  
simus mihi semper est visus, omnig; liberali exercitatione di-  
gnissimus: tamen, cum præteriti temporis spaciū, quando ante  
quinquennium in illustri hac Academiâ versabar, recordor, &  
omnes dies antecedentes memoriâ repeto, animadverto ac video  
viros doctrinâ & auctoritate graves, Philosophos doctos atq;

B

disertos

fertos ex hoc illustri loco, in quem nihil nisi perfectum adferri  
 oportet, verba fecisse, quibus ego vel ingenio vel iudicio mini-  
 mē sum comparandus. Hoc scilicet est, quod tantum mihi per-  
 turbationis adfert. Accedit audientium dignitas, confertissi-  
 maq; literatorū corona, quæ res vel Demosthenem ac Ciceronem  
 ipsum, viros maximo perspicacissimi ingenii acumine, miroque  
 dicendi flumine præstantissimos, perturbare, & à dicendo ab-  
 sterrere poterat. In tantā itaq; consternatione quid faciam? quō  
 cōfugiam? Serenissimo Electori ac Principi nostro, patri patrie  
 clementissimo, benignissimē vocanti, non obedire nefas est;  
 Magnificentissimo Rectori, Principi illustrissimo & clementis-  
 simo, Patribusq; conscriptis Academicis, morem non gerere flagi-  
 tiosum; laudabili receptaq; consuetudini non servire, inhuma-  
 num. Dicam itaq;, & dicam id, quod maximē cum Professio-  
 ne meā convenire videtur. Quamquam enim multis de rebus  
 gravibus & utilibus commode dici posset: tamen præclare ad-  
 modum & prudenter mihi facere videntur, qui Logices, re-  
 rum omnium tradendarum Instrumenti, celebrationem pro inge-  
 nii sui dotibus instituere, & adversus contemptores illius En-  
 comium peragere solent. Etenim non pauci malē feriati atq;  
 indocti homines, qui optimam ætatis partem in nugis suis, ac re-  
 bus caducis, *αἰὲς τὸ ἀλλοτρίαι* pertinentibus, consumserunt, multasq;  
 bonas horas pessimē collocarunt: cum turpiter de studio hoc &  
 publicē & privatim loquuntur: tum modis plane indignis eos ex-  
 cipiunt, qui eruditissimum hoc rationis studium in bene consti-  
 tutis scholis asserere, excolere, & ad omnem usum vitæq; cultum  
 accommodare satagunt: cuius tamen per versi iudicii ac præpo-  
 steræ

steræ condemnationis sue causam aliam adferunt nullã, quam odium naturale, quod inscitie cum scientiã intercedit, quam morbum animi, quo ejusmodi speciosas quidem: sed iniquissimas & importunissimas voces effutiunt. Itaque etiam discordiarum & dissensionum in Ecclesiã Christi causas conferunt in Logicen, & omnium aliarum contentionum, altercationum & odiorum in omnibus humana vitæ partibus eam seminarium atque promptuarium vocant: cum tamen non ipsa Logice sit litigiosa, sed ignorantia multorum rixosa & pernitiosa. Proinde ego hæc horã pauca quedam pro ingenii mei tenuitate & ratione temporis de studio Logico dicturus sum in eum finem, ne in futurorum meorum auditorum animis paulatim iste contemptus, vel ex sinistra imperitorum opinione, vel ex malitiosã interpretatione nascatur, illudque magno supercilio fastuque contemnatur, sane quo solida & perfecta eruditio consistere, nomenque suum defendere nullo modo potest. Vos itaque, auditores, obnixè, demissè & officiosè rogo, ut mihi non eruditè quidem & artificiosè, sed *πραχλῶς* & breviter, utiliter tamen, ut opinor, dicenti, faciles & benignas aures præbeatis.

Ut itaque hinc se nostra primùm efferat oratio, quis nescit, quid Logices nomine intelligatur? quippe quæ *λόγος* est, unde *λογική*, quod ratiotinari est, nomen habet. A Ratione dictam audimus Logicen. Ergone Intellectus adjumentum, Rationis incrementum & *Ἀπόλογος* complementũ arguitur? Quid obsecro aliud? Etenim Logice est habitus organicus intellectualis, mentis nostræ *διανοίας* informans, ut ipsa verum à falso discernere possit. Informa mentis *διανοίας*,

quàm nihil præstantius dari, nihil subtilius cogitari, nihil melius in-  
 veniri in homine potest. Id enim Mens est in homine, quod ocu-  
 lus in corpore, quod Rex in Regno, quod sol in mundo, quod in so-  
 le lumen & vis vivificandi; breviter, quod Deus in tota univ-  
 erso. Quam ob rem Cicero Mentem cœlestem esse dicit, ex al-  
 tissimo domicilio depressam & quasi demersam in terram: Et  
 in Somnio Scipionis, animum Deum fingit: Siquidem Deus est,  
 inquit, qui sentit, qui meminit, qui prævidet, qui tam regit &  
 moderatur & movet id corpus, cui præpositus est, quàm hunc mû-  
 dum princeps ille Deus. Et eandẽ ob causam Phocilides canit:  
 — Ἰσσοῦ, ἐπεὶ θεὸς ἔστι βροτοῖσιν. Et τὸ ἴδιον ἔσμεν  
 dicit Aratus, quod Hemistichium etiam in Actis Apostoli-  
 cis legitur. Et Virgilius de toto mundo:

*Ignæus est ollis vigor, & cœlestis origo.*

*Exemplumq; Dei quisq; est in imagine parva,*  
 ut in versu Manilii celebrato dicitur: id est *μικρὰ δαιμόνιον*,  
 ut Euripides vocat Hominem, quem admodũ id a Plut. refertur.  
 Et Philo animum scripsit esse *ἡ ἀπόσπασμα, ἡ ἀπώγασμα* deĩ  
 abscissionem aut radium DEI. Et magni quidam Philosophi,  
 ut Trismegistus in Asclepio, Author libri de causis  
 proportionem primã, & alii, in Horizonte eternitatis &  
 temporis animum hominis positum dixerunt: quia nimirum quoad  
 in se materiæ expers & immortalis est, ad diuina, quæ extra õne  
 tempus sunt posita, transcendit: Verũ quoad materiæ conjun-  
 gitur ad mutationes, quas tempus metitur & absomit, depri-  
 mitur. Mens hæc primũ perfecta diuinitus fuit creata, fulgens  
 imagine diuinã, quæ in Iustitia, Veritate & sanctitate cõsistebat,  
 omni prudentiã, scientiã õni, omni sapientiã naturaliter instructa,

in Phæ-  
 nom. cap.  
 17, v. 28.

opus hoc, aut simili medio atq; orgão Philosophico nō habebat: verū calliditate, vafricitie, & astutiã Sathanae, homini tantã felicitatē invidentis, miserè malèq; seductus homo, à Deo, auctore suo, deficiēs, serpēti potius, quã creatori suo credidit: Quo peccato gravissimo mancipatus, nō solūm justitiã, sanctitatē, veritatē, agnitionē Dei & eternam hereditatē amisit, omnesq; sanctè agendi vires miserè perdidit: sed præstatißimis etiã scientiæ cognitiōisq; donis exutus, in densissimas ignorantie tenebras præcipitatus est, & hujus vitæ miseris obnoxius, & illius supplicii destinatus. Hujus tam miserandi casus misericors Deus misertus, amoreq; suo erga hominem ardentissimo permotus, de salute perditæ & jã dånati peccatoris restituendã cogitat, venit quoq; latentē querit, quesitum invenit, inventum liberat, & rursus secum interposito λόγῳq; à filio suo unigenito persoluto, unit, simulq; singulari suã clementiã motus ingenii naturæq; vires, licet vehementer labefactas, reliquas in mortalibus esse sinit, atq; ita ex merã suã benignitate, tam ad vitæ societate defendendam, quã ad hereditatē vitæ æternæ recipiendam, nullo nostro merito adductus, hominem instaurat præpotens Deus, ut ita naturæ instinctu ad cognoscendū aliquid quilibet nostrūm feratur. sensuūq; ac intellectus beneficio, rationisq; latentes rerum causas viresq; ac proprietates inquirat. Hinc primi nostri generis parentes à Paradiso ejecti, vastum terrarum orbem ingrediuntur, & obvia queq; contemplantes, manus operi admovent, vires naturasq; rerū inquirunt, deq; posteris solliciti scientiam, aut sibi post lapsum relicta, aut Logices naturalis beneficio, ac ratiocinando acquisitam usu cottidiano, confirmant, filiisq; suis, tanquam legitimis heredibus, tradunt.

Quinimo negari nō potest, quod apud Hebræos sapiētissimi omnium  
 Philosophi rerū indagatores solertijs floruerūt, per quos deinde  
 ex Aegypto sanior Philosophia ad omnes gētes peruenit. Patriar-  
 chæ n. in Aegypto deuerūt, ad quos per venerū Græci discēdi caus-  
 sa, ut refert Diogenes Laertius, ut etiā ex carmine Orphei  
 ad filiū Musæū manifesto apparet. Ad Aegyptios quoq̄ profectus  
 est Homerus, vetustissimus Græciæ poeta, ut Diodorus Si-  
 culus testatur: Item Plato & Democritus, ut refert Vale-  
 rius Maximus & Cicero. Græci postea, ut Socrates, Plato  
 & alii in res naturales accuratius inquisiverunt, atq̄ ita in Græ-  
 ciā Philosophiæ lumen accenderunt, suisq̄ tradiderūt clarissimū,  
 cujus deinde splendor, Aristotelis vigilijs collustratus, lucem  
 omnibus temporib. attulit maximā, Vna enim cum Imperio Sapi-  
 entia in Græcorum potestate mansit, donec tandem Romanorum  
 potentia eas vires acquireret, ut toti terrarum orbi leges ferret.  
 Atq̄ ita sapientia illa mundana summis laboribus, vigilijs, medi-  
 tationibus, observationibusq̄ menti nostræ aliquo modo fuit re-  
 stituta. Quicquid autem elaborarunt Philosophi, quicquid obser-  
 varunt sapientes, id omne elaborarunt, obseruaruntq̄ mentis  
 discursu, qui Græcis διάνοια est, & Syllogismus naturalis dicitur.  
 Quia verò Syllogismus ille ob enumeratas causas imperfectus est,  
 quo sæpius in de vium abripimur, Philosophi in alijs scientijs jam  
 ante culti, illum accuratè & contemplati sunt, & successivè,  
 ut Socrates definiendi doctrinam, Plato diuidendi rationem,  
 & Aristoteles ipsum verū Syllogisticæ conclusionis, invene-  
 runt. Aristoteles itaq̄, quæ confuse ab alijs erant inventa, ex-  
 plicuit, quæ imperfecta perfecit, & quæ varijs in locis dissemina-

ta col.



ta collegit, in ordinem justum disposuit & primus in unum opus rededit. Et hoc modo imperfectus ille Syllogismus & mentis divisa per lapsū multis modis depravata, arte a summo Philosopho, optimā Methodo & ordine conscripta (ars n. & disciplina, quod deest naturæ, implet) informatur, quæ propterea, quod discursum rationis ad veritatem dirigit, uti diximus, Logicæ dicitur. Nam licet quidem nullius rei scientiâ ipsa profiteatur, nihilominus tamen modum & formam disciplinæ omnibus præscribit, quâ scilicet res suas sine errore omnium fallaciarum rationum & argumentorum sublatis ambagibus, liquido & verè cognoscere queant. Dirigit itaq; Logice Mentem, præstantissimam illam hominis partem & facultatem ad veritatem universam. Non n. in unâ re aut uno oīi genere, sed in omnibus quibus homines instruimur, & quæ in universâ Philosophiâ pertractantur (est n. per omnia ejus viscera passim transfusa & æqualiter extensa) occupata est. Quo quidem ex genere excellentia LOGICES maxima intelligitur. Si enim Ratione nihil præstantius in homine, nihil excellentius, nihil subtilius est, perfectio nihil quoque Logicâ erit inter omnes scientias præstabilius, nihil inter omnes facultates preciosius, nihil inter omnes artes, omnes rationis habitus melius.

Neque solum Mentis, sed etiam Philosophiæ præstantiâ LOGICES Encomia miris modis auget: Hac rerum divinarum ac humanarum scientia est: hæc Rationis in libidinem aliosq; non rectos animi impetus firma & moderata dominatio est: hæc in rebus aut expetendis aut fugiendis, ut veritatem virtutemq; sequamur, monet: hæc pacem adfert, & animos quasi



quādam concordia, finem illum summum intuens, Deumq; metuens, placat ac lenit: hæc omnium commotionum moderatrix: hæc vitiorum omnium expultrix: hæc causa semper extitit, quod nulla gens tam fera unquā fuerit, quin aliquod Numen habuerit: hujus tandem solius beneficio (licet illos ipsos consuetudo, tanquam rapidus torrens, ad plurium cultum abriperet) unum Deum crediderunt, celebraruntq; Philosophi: ut suo loco pluribus demonstrabitur.

Vnde autem hæc cognitio? unde hic cultus? Profectò non ex apparitionibus divinis; sed ex rectâ ratione & libro natura, quæ Philosophia dicitur, & Logicâ artificiali informatur: quippe quæ canon est sive instrumentum naturalis Logices & universæ Philosophiæ, dirigens eam in rebus obscuris & involutis, ceu perpendiculum fabros in judicandâ rectitudine vel obliquitate trabis: Quinimo Philosophicæ artes sine hujus informatione minime subsistere possunt. Ut enim homo sine ratione est plane ἀλογος, stupidus & brutus: ut mundus sine Sole est mera caligo: ut Regnum sine Rege est ἀρχία: ut universum sine Deo est nihil: Ita Philosophia sine artificiali Logice nihil est, est stulta incerta, caeca obscuritas, mera confusio. Hinc quia ante Aristotelem & Platonem nulla fuit Artis Logices perfecta peritia: inchoatâ saltem & rudem habebant Philosophiâ, quemadmodū ipsa veterum Philosophorum scripta testantur, errorum plena, quæ passim reprehenduntur ab Aristotele: Et in Metaphysicis Philosophos plerosq; in disciplinis hallucinatos scribit, quia de Methodo sciendi, id est, de modo, quo veritas rerum sit indaganda, nihil cognitum aut constitutum haberent, quos omnes

Metaph.  
v.

δ' ἀταρ-

*δι' ἀπαιδίστρια τῶν ἀναλογικῶν* aberasse à vero ostendit. Separatim  
 itaq; scientia & modus sciendi sunt explicanda: Nam ἀπὸ τοῦ ἔργου  
*Ἰντείν ἐπισήμωτο καὶ τῶν ἐπισήμων*, inquit Philosophus lib. α mis  
 noxe Metaph. Modus autem sciendi est Logicum Instrumen-  
 tum, quod rationibus rudibus limandis, ambiguis dividendis, ob-  
 scuris definiendis, disiectis & dissipatis colligendis & demon-  
 stratione evolvendis, est destinatum. Sola enim Logice est ma-  
 ter veritatis, est mater perspicuitatis & ordinis. Ordo autem  
 secundum Ciceronem non parva nature & rationis vis æ-  
 stimatur. Cum verò æquū sit omnes homines omnia ordine facere,  
 æquum utiq; erit, ut omnes sint Logices quàm studiosissimi. Siqui-  
 dem ordo ut ex rectâ ratione, & consequenter ex Logice existit:  
 ita etiam incumbit omnibus ratione præditis omnia facere ordi-  
 ne forsan brutis fiant æquales, aut etiam inferiores. Etenim ob-  
 servamus & bruta animantia in multis suis opificiis & structu-  
 ris certum observare ordinem, ut apes mella & cellas conficien-  
 tes, aves nidos extruentes, araneas telas texentes, quanquam  
 illa in univ'ersis suis actionibus, quod intellectu careant, naturam  
 non rationem sequuntur: Tantum enim abest, ut Rationem red-  
 dere possint factorum, ut etiam quid faciant, non intelligant.  
 Ordo quoq; maximè est, qui memoriam juvat, ut hoc nomine Ci-  
 cero in secundo de Oratore, Simonidi summas agit gratias, qui  
 artem memoriæ conscripsit, & ordinem esse, qui maximè memo-  
 riæ lucem adserat, primus observavit & invenit. Quia itaq;  
 Logice est, quæ ordinem verum & rectum, unde deinde perspi-  
 cuitas, veritasq; sunt, nobis præscribit, ejus utilitas & necessi-  
 tas maxima est manifesta. Et planè verum est, ordo quasi ful-

cap. 3.

C

crum

crum est memoriæ, ubi contra confusio eandem perturbat & plane destruit. Illi enim qui in artibus & scientiis sine ordine versantur, nihil rectè cognoscere discunt: sed tantū, quod in trito est adagio, in omnibus aliquid, in toto nihil sciunt, tempus & laborem, operā, studium, sumtus omnes, magno suo & multorum aliorum dispendio perdunt. Idem enim illis usu venire solet, quod de morione quodam dicitur, qui quoties pro more ad culinam ferenda essent ligna, ex infimā strue ea, quæ sine magno impetu moveri non poterant, eximere conabatur, quo modo nimirum ipse sibi laborem longè gravissimum fecit.

Porro rectè statuunt illi, qui Philosophiam matrem simul & filiam Logices dixerunt, quippe quæ sola fuit apta, ut gigneret hanc artificialem Logicen suimet ipsius gratiā, ac potissimum scientiarum speculativarum causā, quæ multis undiq; rerum abstrusarum & à captu vulgi remotiorum sunt refertæ difficultatibus. Quo enim majora in quacunque disciplinā offeruntur dubia & res abstrusæ & reconditæ, eo plus loci Logica relinquitur. Atq; hoc est quod Iamblicii verbis continetur, quibus affirmat: Dialecticam in inventionibus artium prima ipsarum principia constitinere, nullamque Philosophiæ partem esse, quæ absque Dialecticā ratione percipi possit: denique neminem rectè interrogare aut respondere, qui hanc orationis sententiam non habuerit. Plato quoque Dialecticam dicit ita esse positam super omnes disciplinas, sicut Lorica structuris summis parietum superstruitur ita, ut aliam fere nullam artem fastigii loco superiorem ponere debeamus. Quod de Platone etiam commemorat Alexan-

der

L. b. 7. de  
R. publ.

der Aphrodisæus lib. 1. Commentariorum in Topi-  
 ca. Et lib. 2. de Rep. iisdem pene Encomiis Dialecticam ce-  
 lebrat, nimirum, quæ sola mentem, ignorantie immerfam, erigit,  
 tollitque à vulgaribus opinionibus, ad solidam rei cognitionem:  
 ἐν βροτῶν βαρβαρικῶν τῶν τῆς ψυχῆς ἔμμετα καλοῦσθαι μένον ἀπέμα ἐλ-  
 κει καὶ ἀνάγει ἀπὸς Διγαλετικῆ· revera barbarico quodam cæ-  
 no demersum animi oculum, paulatim trahit subtra-  
 hitq; sursum Dialectica, ne cum vulgo putemus nihil esse,  
 nisi quod pugno stringatur, cum verius existant, quæ oculis &  
 sensibus non observantur, quàm quæ videntur & palpantur,  
 certius quæ sciamus, quæ ratiocinatione inquisita intelligimus,  
 quàm quæ manibus contrectamus: siquidem Iudicium à sen-  
 sibus ortum sæpius fallax & incertum est. Fieri enim potest, ut  
 multorum accidentium quasi spectris quibusdam Mens nostra  
 perstringatur, ut sciam & Veritatem in rebus videre nequeat,  
 & aliud pro alio apprehendens, hallucinetur, confusa non rectè  
 dividendo, & divisa monstruose componendo. Quid enim er-  
 rores & opiniones falsæ aliud sunt, quàm monstra quedam, quæ  
 non rectè componendo parit intellectus noster? Adde, quod ve-  
 ritas ἀπλῶς non possit adscribi rebus, quoad percipiuntur sensib.  
 Quæ enim extra mentem existunt, non simpliciter vera sunt, sed  
 pro tempore aut pro loco vera dicuntur, nimirum ut simpliciter  
 Verorὺν εἰκόνας. Scientia enim & Veritas rerum, quia notitia cu-  
 jusq; essentia simplex est & sincera, mentis secretionem ab omnib.  
 aliis separata opus habet. Atq; hoc est, quod Augustinus lib. 2.  
 Soliloquiorum cap. 5. dicit: Verum esse id, quod est, non

Plato in  
Thæeteto

autem id quod tale videtur aut quod tale est, quale videtur.

Et Aristoteles lib. 6. Metaph. in fine veritatem dicit esse tantum in Intellectu formaliter & propriè. Absurdum itaq; est simpliciter à sensibus pendere, nec rem alius secundum nominam Intellectus, quæ Dialectica est, quæq; illam non sinit depravari admixtionè & corruptelâ falsorum, ponderare. Hinc merito crassum illud ingeniorum genus, quod nihil esse putat, quicquid non strictim manibus apprehendatur, Plato veluti profanum à Philosophiæ mysteriis jubet arceri.

1. Top. c.  
2.

Aristoteles Dialecticè nobis commendat his verbis: Dialectica utilis est ad tria, ad exercitationem, ad congressum & ad disciplinas Philosophiæ. Ad exercitationem utilis est, quia hanc Methodum sequentes, facilius de re proposita argumentari & differere poterimus: ad congressum, quod cum multorum opiniones numeramus, non ex alienis, sed ex propriis locis cum illis colloquamur & differamus, errantes refellimus, nostram sententiam cum gravitate defendamus. Deniq; ad reliquas disciplinas, quod cum didicerimus in utramq; partem aliquid proferre, facilius in singulis artibus, quid verum, quid falsum insit, prospiciamus. Hic quilibet secum reputet, consideretq; quanta laus, quanta felicitas, quàm necessarium quoque sit in universâ vitâ ad re propositâ rectè posse querere, et videt differere, dextreque ad eam respondere: quàm indecorum contra, quàm verè barbarum, ignorare, quomodo aut quid deliberandum: quomodo aut quid interrogandum: quomodo aut quid respondendum. Hoc nimirum est lacerare materias, sicut canes

lacerant

lacerant pannos, quod iterum rectè & venuste in ἀλέγες, & in rerum Dialecticarum ignaros dixit Plato. Solius enim Dialectici est conclusiones veras à falsis distinguere, & argumentorum genera explicare, quibus necessaria à probabilibus, perpetua à caducis, integra à corruptis, vera à falsis separantur. Quamobrem iterum ab Aristotele Dialectica & Analysis Organica Eruditio appellatur, quâ nimirum quissiam non ex parte, sed ex toto dicatur Eruditus, nempe, ut Aristoteles loquitur, ὁλως πεπαιδευμένῳ, propter industriam scilicet & δυνάμιν inveniende & judicande veritatis in omnibus. Quocirca taxanda hic est multorum Iuvenū sive Vanitas sive insolentia, qui, neglecto hoc Rationis organo, ceu imparati & inexercitati Tyriones, illois, quod ajunt, pedibus in mysteria disciplinarum irrumpunt, ac manibus impuris sacra Philosophiæ & reliquarum facultatum contrectant. Scilicet hi (quod Nazianzenus venustissimè in ἀποδιδάκτες dixit) subito fiunt Doctores, sicut in fabulis subito nati dicuntur Gigantes; nempe fiunt arrogantes. Cum enim satis diu in castris Logicis & Philosophicis meruisse, atque ut eximii bellatores, egregia fecisse stipendia sibi videantur, experienciâ & arte pugnandi vel ipsos Duces superare putant. Ideo phaleratis bullis & sesquipedalibus pollicitationibus, quibus plerumque naturaliter pollent ejusmodi audaculi, quando deciperunt homines, vel alias per favorem promoti ad quendam dignitatis gradum florent, intempestivè sæpius extra septa & castra profiliunt, omnibus certamina inducunt, & plus sibi virium, quàm habent, assumunt: Vbi verò ad velitationes deventum est.



bone Christe, quàm temere, quàm ineptè, quàm incautè  
certare & pugnare non nausi sine audimus & videmus magnos  
illos Sisyphos, ut dum hostes se ferire autumant, vix aërem vi-  
brent, aut semetipsos suis armis planè conficiant. Nihil tamen  
ista, quia fronte carent, curant. Tam vitiosa enim per Consue-  
tudinem ac malam præsumptionem illos incescit *παρὰ τὸ συνήθες*, ut ni-  
hil intelligant, nihil probent, quod sit *παρὰ τὸ συνήθες*, præter  
consuetum. Accidit enim his, quod alius, qui quoniam longà egrit-  
tudine vitiosum corporis habitum contraxerunt, saluberrimos  
sanisq; gratissimos cibos fastidiunt, ac loco illorum appetunt ali-  
os, qui suo stomacho suæq; libidini ardent & abblandiuntur:  
Ita etiam hi, quos consuetudo inveterata, tanquam Lycanthro-  
pos ac fonticus quidam morbus, invasit ac depravavit, quocum-  
que docentur, dicunturq; quamvis scitissima sit illorum ratio, mo-  
dusq; tamen quod suo mori discrepent, illico refugiunt & festi-  
diose respuunt. Consuetudo enim & potissimum ea, quæ mala  
est, si cui se insinuat, ejus in naturam usq; abit, nec unquam ita  
planè innoxie insidet, ut primigenia temperies maneat illibata  
impermutable. Fit autem absque dubio, quædam *ἀδαεία*,  
ut putemus nostra, quæ cum naturâ nostrâ sentiunt & faciunt;  
reliqua ad nos nihil. Pariter etiam pro more nostro ut agi-  
mus, quæ insueta sunt, *ἀδόξια, ἀγνώστα καὶ ἕρμηδ* judicamus.  
Atque id tum vel maximè fit, si quis *ἀγγελῆς* sit, ac sectæ cui-  
piam deditus. Tales qui facti sunt, & nihil norunt, & di-  
scere aliquid nolunt, si Galeno credimus. Omnino enim con-  
suetudinis & præsumptionis hujus male tanta est tenacitas &

per vi.



per vicacia, ut τὰ ληρώδη καὶ φλυαρώδη anilia & futilia, si more valeant, non modò applausum mereantur, sed abrogari, atque ex animis hominum extundi nullâ ratione nullâq; commotione queant. Ut autem hos tumidos, audaces & pertinaces præsumptio hæc consuetudine malâ in animis nata, facit: ita alios contra adeò molles, timidos & effæminatos effecit, ut si specimen eruditionis sit edendum, & pro veritate pugnandum, animum despondeant, clypeum deponant, gladium abjiciant, terga vertant, & turpi fugâ turpissimum nomen & vestigia fæda relinquant: cum tamen prius sibi viderentur Pyrgopolinices & Capanei, in quos rectè illud Horatianum:

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.

Accidit etiam illis sæpè numero, quod Laërtius de quodam Diodoro Iaseo scribit, qui cum argumenta quædam à Scilpone proposita ex tempore nequi visset solvere, à Rege per contumeliam Cronus, fatuus, vocatus, & mox per Aphæresin & asinus, con vitio excessit, & de mota quæstione librum conscripsit, & vitam mærore fini vit.

Quocirca ad vitandas tot tantasq; absurditates & contumelias, qui felices in studiis progressus facere cupit, omnem mo veat lapidè, ut ex veris fundamentis veram veræ eruditionis arcem in animo extruat, quod sine disciplinarû Philosophicarû & Logicarû peritiâ minimè fieri poterit. Nâ licet quidè Logices, si originem illius spectes, usû proprio quasi jure sibi vèdicet Philosophia: tamè aliis quoq; disciplinis & utilis & necessaria facta est, nō aliter atq; culter ad panè incidèdū ab artifice factus, aliis quoq; reb. separâdis

Et discendis commodè & necessariè applicatur. Si quis enim arte Logicà imbutus sit, is omnem sibi doctrinam, quæ hominis liberaliter educati studio digna est, labore non quidem nullo, sed leviore tamen & faciliore comparabit. Qui vero, neglectis artium Logicarum rudimentis, ad altiora temerè per volarint, eos effugiet omnis eruditio

Par le vibus ventis, volucrig simillima somno,  
Vmbra arripiet pro corpore, pro Iunone nubem. Quandoquidem si quis, citra Logices operam vel discere vel docere quicquam velit, is nihilo plus agit, quàm si cribro aquam haurire & reti ventos capere conetur.

Aristoteles quis Logicæ artis usus sit, & quàm latè pateat, luculenter exponit toto capite 31. lib. 1. analyt. prior. ubi ait, unam tantùm esse viam seu rationem componendi Syllogismum quemlibet, seu inveniendi media Syllogismorum omnium, in omnibus artibus & scientiis: si ve media illa sint demonstrativa, si ve dialectica & probabilia: quanquam ipsa media & principia conclusionis probandæ, non ex Logice depromantur, sed ex arte illâ, ad quam conclusio pertinet; ἡ μὲν εἰς ὁδὸς, inquit Aristoteles, κατὰ πάντων ἡ αὐτὴ καὶ περὶ φιλοσοφίαν, καὶ περὶ τέχνην ὁπτιανὴν καὶ μάθημα. Vna atque eadem via est seu methodus ratiocinandi de omnibus quæstionibus, ad Philosophiam & ad quamvis artem & disciplinam pertinentibus.

Amplissimum hunc usum admirans Iamblichius, in hæc verba exclamat: θεὸς ἦν τις ἀληθὴς ὁ καταδείξας τὴν ἀγαθὴν καὶ

κατασκευασμένην

καλαπέμφας ἀνθρώποις. Revera Deus quispiam fuit, qui Dialecticem hominibus monstravit & cœlitus demisit. Deorum itaq; munus nequaquam negligendum est; sed meditatione, experientiâ & arte confirmandum, ait Stobæus loco de literis. Hinc in Zenone Cutiæo Stoico, ut refert Laërtius, tanta discendi Dialecticenerat cupiditas, ut, cum pecunias non haberet, quib. Polemoni Dialectico satisfacere pro mercede, per posticum clam irrepserit, quò docentem audiret. Audiens hoc Polemon, sat video, inquit, te furari ea dogmata, quæ aliis postea mercede vendas. Quumque illi Dialecticus Philo in sermone, quem illi mentem appellant, ostendisset septem species Dialectices, rogavit, quantum mercedis peteret à Discipulis? poscenti centum dedit ducentos. Sunt quoq; boni Logici propter infinitam disciplinæ hujus utilitatem apud omnes, rem rectè intelligentes, in maximo semper honore habiti. Scribit Philostratus in Sophistis, Dionysium Milesium Historicum & Sophistam sive Logicum acutissimum, Hadriano Principi ob ingenii acumen & felicitatem a deo acceptum fuisse, ut inter Satrapas ac Equites sit numeratus, & mensæ, cui omnes viri docti in toto terrarum orbe accumbebant, particeps sit factus. Absque dubio bonus hic princeps consideravit, quod aliàs Averroes docuit: Logicen esse necessariam omnibus scientiis, Logices ignorantiam esse impedimentum ad veritatem cognoscendam, Logicen necessariam esse artibus perfectis. Et Plato scribit: ἡ σοφία οὐκ ἐστὶν λόγους ἀνεύρου τῆς ἐπιτελεῖς τῶν λόγων τέχνης. Fidem nimirum non habendam rationibus & argumentis sine artis Dialecticæ peritiâ. Idem in Phæ-

lib. 7.

D

dro in.

dro, indagatricem omnīs Veritatis illam celebrat, & Iovi quasi surreptam furto Promethei ad nos delatam esse dicit: cum hac nihil sit, quo manifestius omnia vera cernere possimus, quam Poëtae ignis similitudine adumbrare voluerunt. Medico necessariam esse hanc facultatem, quis negabit: quippe, qui conjunctissimus Physico est, & iisdem penè demonstrationibus in investigatione materiae rerum, naturæ morborum, qualitatum, herbarum, & similium, utitur. Vel enim à signis progreditur, vel ab effectibus sumit iudicium, vel à causis, vel ab adjunctis, vel à circumstantiis, vel ab antecedentibus, vel à consequentibus, vel similibus, qui loci omnes ex Logicis petuntur. Hinc tam diligens rerum Logicarum inquisitor & studiosus fuit omnium Medicorum Archidux Galenus, qui differendo adeo valuit, ut propositis in æde Pacis de more questionibus improvisis, publicè sapissimè ad omnia responderit, idq; adhuc Iuvenis, quum Roma degeret. Annum agens decimum nonum Athenæi sectatorem condidit, & postea aliquando Stoicos de sede animæ disputando superavit: sæpenumero etiam apud eruditos viros extemporales sermones habuit; suis semper Antagonistis pudorem, sibi gloriam conciliavit: tamq; acris & vehemens in refellendis si ve sermone si ve scripto aliorum fuit erratis, ut eorū, quos persecutus est, univèrsa scripta perierint. Imò quicquid unquā laude dignum scripserit, aut ad posteritatem transmiserit, id omne se debere Artū Dialecticæ propalam fatetur: & alio quodam loco, prævariarum opinionum & errorum unicā scaturigimē esse scribit, ignorantia huius artis, quia videlicet sine hac, verisimilia falsa à veris non possunt internosci: Et iterū eos, tanquā barabra quædā, fugiēdos

& dete

& detestandos esse censet, qui Dialecticè Medico inutile esse op-  
 nantur. Ea propter non de nihilo idē ille Aristotelem laudat, qui  
 Epistemonicam analyseos artem à probabili differendi facultate,  
 ac Sophistarum captionum Elenchis callide & fideliter digesserit  
 atq; secluserit, promocondi solerti à & officio functus. Hinc ad-  
 huc hodie illos, qui artem Medicam erudite collent, Philosophiæ  
 & Logices fuisse studiosissimos, absq; hac autem alios in eadem  
 pueros experimur. Cum medicis enim illis Romanis, Galeni æ-  
 mulis, Logica imperitis & propterea methodi expertibus omnia  
 confundunt, conturbant, evertunt, interrogati tacent, urfi ob-  
 mutescunt. Hujus rei exemplum recitat Plutarchus in An-  
 tonio: Philotas Amphisseus medicus, allectus inter clientes  
 Filii M. Antonii natu maximi ex Fulvia, medicum aliquando  
 insolentem, qui multa negotia cenantibus ipsis exhibebat, hac  
 cavillatione repressit: Febricitanti aliquatenus frigida propi-  
 nanda est: Omnis autem febricitans, aliquatenus febricitat:  
 Omni igitur febricitanti frigida propinanda. Icto homine & ob-  
 mutescente, oblectatus Antonii filius risit ac dixit: Hæc tibi,  
 Philota, cuncta dono, ostendens multis & grandibus poculis cu-  
 mulatam mensam. De Iureconsultis quid dicam? Audiant  
 studiosi Iuris non me, sed Iureconsultiū Iureconsultis præcipientē,  
 magnum illū Oratorem Ciceronem, qui in Bruto ob solius Lo-  
 gices peritiam Ser. Sulpitium Scavola præfert: & seipsum quoq;  
 è Dialecticorum scholis inventionem hausisse, testatur, ostendit  
 que solius Logices beneficio in artis formam Iuris disciplinā tur-  
 bulentissimam & quodammodo Varietate rerum & opinionum  
 vastissimam digerit posse, atque in aliquem ordinem redigi, quo

Gal. in l.  
 quod o.  
 p. i. m. u. s.  
 medicus  
 sit opt.  
 Philoso-  
 phus.  
 Plutarch.  
 in Ant.

nihil etiam nostro tempore magis legum studiosis optandum esse videtur. Ostendit etiam non scientiam, sed ignorantiam juris tot tantisq; perstreperere opinionum litibus, à quibus tamen non, nisi Logicâ arte vindicari hujus laudatissimæ disciplinæ possessio possit. Existimo, inquit Cicero, Juris civilis magnum usum & apud Scævola & apud multos fuisse: artem in hoc uno: quod nunquam effecisset ipsius Juris scientia, nisi eam præterea didicisset artem, quæ docet rem universam distribuere in partes: latentem explicare definiendo; obscuram explanare interpretando; ambigua primùm videre, deinde distinguere; postremò habere Regulam, quâ vera & falsa judicarentur; & quæ quibus præposita essent, quæq; non essent consequentia. Hic enim attulit hanc artem omnium artium maximam, quasi lucem, ad ea, quæ confusè ab aliis aut respondebantur aut agebantur. Atque scite hæc Cicero. Quandoquidem universum Jus Regulis & Axiomatibus Logicis est refertissimum, quæq; sine Logices cognitione aut omnino non: aut difficilimè intelliguntur. Nam quia Jus ex Rectâ ratione desumptum, eiq; firmissimè innititur: Ratione rectâ circa illud versandum erit studiosis. Quæ autem est Recta ratio alia, quàm quæ Arte Logicâ informata, confusa rectè distinguit, dividenda rectè dividit, conjungenda rectè conjungit, alterum ex altero rectè colligit, veritatemq; à falsitate ubiq; distinguit. Quocirca hæc facultas quando ad Studium Juris adfertur, uno anno plus, quàm ubi deficit, biennio vel et

tiam tri-

tiam triennio efficietur. Et sanè experientia docet, multos sine Logices cognitione Iurisprudentiæ habitum aliquo modo quidem sibi acquirere: sed quantâ difficultate, quantisque laboribus & vigiliis (licet quicquid habent adhuc imperfectum & nondum rectè excultum sit) ipsimet fateri vix audent: quâ etiam felicitate postmodum in praxi, siue ea sit exercenda in scholis, siue in foro maximo ἀλογοι versentur, sæpius discentes & clientes non sine exemplo suo incommodo & damno experiuntur. Quoniam licet axiomata omnia Iuris, omnes leges, omnes paragraphos teneant memoriâ: tamen prudentiâ (quæ ex cultura Rationis fluit) illa ritè explicandi, materiam Iuris rectè proponendi, ad versarium artificiosè urgendi, destituuntur. Idem itaque his accidit, quod illis, qui navem conscenderant, artis nauticæ imperiis, quando ex orientibus tempestatibus & semetipsos & omnes, quos secum navi vehunt, extremis exponunt periculis.

Quod autem non Iurisprudentiæ & Medicinæ tantum; sed simul omnium facultatum, & cum primis Theologiæ studio, dictum esto. Rectè enim mediæ antiquitatis doctor Ecclesiasticus Augustin. Quomodo ergo, inquit ratio ad alia fabricata trāsiret, nisi sua ipsius machinamēta distingueret, notaret, digereret, proderetq; ipsam disciplinam, quam Dialecticam vocant? hæc docet docere, hæc docet discere. Quis ignorat Episcopi munus ex sententiâ Apostoli in duobus potissimum occupatum esse: in docendo & contradicentes sanæ doctrinæ convincendo? In utroq; ars Logica potentissima est. Id quod animadvertentes veteres Ec-



cleſiaſtici doctores multum ſtudii in illam contulerunt, ſummisq; laudibus in cælum uſq; ſuſtulerunt. Audiamus iterum Auguſtinum, pietatis, eruditionis & Philoſophicæ & Theologicæ, dexteriſq; in convincendis hæreſibus laude clariffimum, ita de *Logicâ ſtatuentem*: Dialectica, inquit, differendi potens, potenter dubia quæq; definiens, cunctas ſcripturas e- vibrans atq; eviſcerans, cunctam humanam ſapientiam annihilans. *Et alibi Auguſtinus*: Diſputationis diſciplina ad omnia genera quaſtionum, quæ in literis ſacris ſunt penetranda & diſſolvenda plurimum valet. *Et paulo poſt*: Scientia conſuſionum & definitio- num & diſtributionum plurimum Lectorem ſcriptur- rarum adjuvat. *Auguſtino ſuffragatur Hieronymus, qui in Ezechielem ſic ſcribit*: Verè quicquid in ſeculo perverlorum dogmatum eſt: quicquid ad terrenam ſcientiam pertinet, & putatur eſſe robuſtum, hoc Dialecticâ arte ſubvertitur, & inſtar incendi in cineres favilloſq; diſſolvitur, ut probe- tur eſſe nihili, quod putabatur eſſe fortiſſimum.

*Intelligit autem pia vetuſtas nullam aliam Logicen, quàm que ab Ariſtotele conſcripta & poſteritati relicta eſt. Auguſtinus enim lib. de civit. Dei 8. Ariſtotelem non tantùm excellens rem ingenii virum, miranda diligentiâ Philoſophum, de omnib. differendi cupidum prædicat, & pleriq; Philoſophis præfert: ſed in ſuper in fine, ſe Ariſtotelicum eſſe profiteri, qui ſub Them- iſti Ariſtotelus interpretis inſtitutione & magiſterio jugi labore,*

*ut ait,*

De do-  
ctrina  
Chriſti  
lib. 2. cap.  
31.  
cap. 37.

cap. 12.



ut ait, Aristotelicam Philosophiam didicerit. Librum quoque *καθηγητικὸν* de Græco in latinum se contulisse dicit, & discipulo suo Adeodato vehementer commendat: Ejus verba ad Adeodatum sunt: Ut iis quoque bonam frugem studii à nobis profecti suscipias, si te non dissimilem nostri, aliarum rerum, quæ lubricæ sunt & inanes, cupiditas retentaverit. Nihil namq; omissimus in hoc libro, quod posset aut delectare jam doctos, aut indoctos erudire. Hieronymus 3. Part. Epist. ad Eustochozum Epist. 14. cap. 11. Aristotelem sapientum principem nominare non dubitat. Et si, inquit, fueris absq; dubitatione prodigium, grandeque miraculum in totâ naturâ, cui pene videtur infusum, cujuscunq; naturaliter capax est humanum ingenium &c. Quando hoc audient Ramistæ: jurabunt mercedem Hieronymo à Peripateticis esse promissam, si Aristotelem laudaret. Cyrillus quoq; Thesauri lib. 2. c. 3. sapientiam hujus mundi ex disciplinis Aristotelis derivat, quando inquit: **MIRAMUR QUOD ET SI A SAPIENTIA HUMANI MUNDI PROPECTI ARISTOTELICAS DISCIPLINAS SEQUANTVR, & eas nobis incusant, indocti tamen etiam secundum ipsas inveniuntur &c. Interdû quidē Patres Aristotelē rejiciunt; sed nō aliter quā ut humane sapientie quendam Coriphæū, quā illi sapientiam cum Aristotele non quidem ex scholis, sed ex sacris scripturis abire jubent, quod carnalis homo nō intelligat ea, quæ sūt Spiritus DEI.**

Eadem

Eadem ratione & assumtu & rejecit Aristotelem divus Pater Martinus Lutherus; Philippus quoque, quem Jalias pro se Rami sectatores allegare solent, quando clamitant: Fundamenta Melanchthonis sunt fundamenta nostra! Iudicium Melanchthonis est iudicium nostrum: idque ostendere conantur collatione Dialectices Rami & D. Philippi: Vbi tot Metamorphoses, tot Metatheses, tot hystero-logias, tot Syzigias adlibent, ut non tantum faciem Dialectices Philippicæ mutatam, sed potius totam ejus essentiam transformatam videas. Quæ primo loco proposuit Philippus, in ultimum transponunt, quæ ultimo, in primum: quæ ille distinguit, verbi causa, Locos inventionis, prædicabilia, prædicamenta &c. Illa novi hi doctores commiscet bene, atque ex simplicibus more Pharmacopæorum faciunt unum mixtum, nimirum digestivum materialium phlegmaticarum in stomacho, juxta illud: Quæ possunt fieri per pauca, non debent fieri per plura. Atque hoc nondum sufficit. Nam licet quidem ager logicus fertilissimus sit, & à Philippo multis spinis & sentibus expurgatus, nihilominus tamen, illorum iudicio, adhuc obsitus multis reliquis, ut est doctrina de propositionibus modalibus, de demonstratione, de Syllogismorum reductionibus, de Elementis sophisticis & similibus: unde certe arandi & colendi oriuntur difficultates non minimæ: propterea cum Taleo ut boni patres familias & rustici quadrati, ad Agriculturam logicam se conferunt, unde adferunt falcem, securim, aratrum, cylindrum, cæteraque excolendi agri instrumenta. Atque tum videres illos rusticos stercoreare, arare, iterare, tertiare, occare, seminare & iterum artrare, tan-

Taleus.

de ma

demq̄ tam miserè miserum Philippum emacerare, ut ne pilum quĩ dem boni Dialectici retineat. Sicq̄ bene tonsus & depilatus Philippus cogitur nolens volens in Rameorum ire sententiam, ne forsitan deterius quid illi accidat. Atq̄ tum statim exoritur harmonia illa dulcis & sua vis Philippi & Rami, de quã tot Beurhusii, tot Heizores, tot Bilstenii, tot Ramistarum discipuli sibi gratulantur.

Deinde secum etiam idem judicare, sentire & statuere jubent Philippum, quando Aristotelem cum suis Peripateticis vocant Institutionis corruptorem, inertem sophistam, patrum inimicum, qui tantum gratus sit rixosis ingeniis, in quo ipsa rixandi libido dominetur, obscuritas præsideat, inconstantia dogmatum perpetua, contradicendi occasionem præbeat. Nam etsi quidem Philippus statim in præfatione Dialectices ad Iohannem Iachimi filium Camerarium in hæc verba loquitur: Ego veram, incorruptã Dialecticem, qualẽ ab Aristotele & aliquot ejus non insulsis interpretibus, ut ab Alexandro Aphrodisiensi & Boëtio accepimus, prædico, hanc affirmo, non modò in foro & in iudiciis, aut in Philosophiã: sed etiam in Ecclesiã valde utilem esse: id tamen contra Rameos nihil: quando ex suã agriculturã arreptã falce excindunt excindenda & inserunt inferenda, nimirum quando mutant pauca vocabula, & pro nomine Aristotelis ponunt Rami, pro Alexandri scribunt Talei, pro Boëtii substituunt Tempelli vel Beurhusii &c. tam ovum ovo, aut lac lacti non erit similis, atq̄ est iudicium Philippi & Ramistarum. Sed quis tam stupidus, qui non intelligat, quis tam cecus, qui non videat, quis tam hebes, qui non palpare possit, eã ratione DEVM cum Dia-

bolo, cælum cum inferno, conferri & combinari posse?

Possemus ejusmodi xcenta adhuc alia ex Philippo adferre, nisi tempus nos moneret reverti, unde digressi sumus.

Contemplemur paululum Sacrarum literarum monumenta, & Logices usum videbimus uberrimum. Lucae 24. Discipulis conturbatis & conterritis, se spiritum videre existimantibus, dixit Christus: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipse sum: palpate & videte, quia spiritus carnis & ossa non habet, sicut me videtis habere. Syllogismus in verbis Christi hujusmodi est: Spiritus carnem & ossa non habet: Ego habeo carnem & ossa: Ergo non sum spiritus. Minorem probat ab accidente proprio corporis; quia palpari & videri possum, inquit. Et firma est probatio. Accidentem enim proprium semper arguit suum subjectum, quandoquidem illi soli semper inest, & extra illud subsistere nequit: Quis contra adeo ἀλογος, qui non intelligat Sophisma Chrysolytarum, ex eodem dicto quod conficiunt? Christus, inquit, ibi se exhibet suis discipulis videndum & palpandum: Ergo ubicumque est Christi corpus, ibi videtur & palpatur: Ergo si in S. cœnâ est, si in medio nostrum est, si omnia præsenter regit & gubernat, videtur & palpatur. Mali isti Logicotheologi eandem putant vim esse arguendi, quoad τὸ ὄν καὶ τὸ εἶναι ἀσυστάσια rei ad ejus accidentia, atque est ab accidentibus ad substantiam. Sed fallunt & falluntur, quandoquidem essentia sive substantia per se ἑστίν: accidens vero, si ve

fit pro-

sit proprium sive commune, nullum habet esse, nisi per suam sub-  
 stantiam. Est enim τὸδε ἢ τῷδε ὄν, quo non aliquid esse, sed alius  
 quid in alio esse dicitur. Quare recte arguitur, hic aliquid palpa-  
 tur & videtur: Ergo hic est corpus: sed non eadem necessitate:  
 Hic est corpus: Ergo palpatur & videtur. Ratio: palpari enim  
 & videri non possunt esse extra corpus, quia αἰσθησις non fit nisi in  
 corpore, & αἰσθησις non nisi in suo vel circa suum αἰσθητόν, quod est  
 corpus. Accidens enim sine vel extra substantiam est non ac-  
 cidens: Est enim nihil negatiuum vel simpliciter non Ens. Dare  
 itaque accidens sine substantiâ, est dare purum nihil, aut novam  
 creationem, quâ producat id, quod per se non subsistit, ut per se  
 subsistat, atque tum aut contradictio in adjecto, aut non erit acci-  
 dens, sed substantia. Verè enim Logici: Cui competit definitio,  
 eidem & definitum. Contra verò Substantia corporis, que acci-  
 dentia propria sustinet, illis esse dat, solummodo à suâ formâ &  
 per suam formam, h. e. per se est id, quod est & ratione sui esse nis-  
 hil omnino habet adiumenti ab accidentibus: quandoquidem hæc  
 prius per se subsistit: tum ex se Accidentibus à se largitur, quippe  
 quæ substantiæ constitutionem sequuntur, non ingrediuntur. Atque  
 hæc est causa, quod substantia rei in suo esse nudè, in se & per se  
 considerari possit extra omnia sua accidentia: Accidentia verò  
 non item: Ut enim per se & in se non sunt neque existunt, sed insunt  
 & inexistunt: ita etiam in se & per se non considerantur, quod  
 consideratio semper rei essentiam & existentiam sequatur. Abus  
 itaque est disputandi modus & necessitas ab essentiâ sive substan-  
 tiâ rei ad ejus accidentia, atque est ab accidentibus ad substantiam.

Sanè Ratio videt & intelligit rōn substantiarum, quia naturā prius est, dari posse non dato proprio accidente, atq; id vel maxime, interveniente infiniti naturæ Rectoris infinitā virtute: rōn autem propriorum accidentium (quia natura posterius & à substantiā est & esse suum habet) non dari posse, quin detur simul substantia. Tenendum itaq; cum substantia sit accidentium suorum causa naturalis, quoad illius actio naturalis non impeditur, naturaliter semper eadem (quod natura semper sine intermissione uno eodemq; modo agat) procreat, & sustinet: Interjecto autem impedimento naturalis illa operatio suspendi potest: quod experimur facere Artifices in communibus accidentibus: quis negabit Deum id posse in propriis: quippe qui ineffabili sapientiā, immensā potentiā & infinitā virtute præditus. Insultus profecto Philosophus, qui id negaret, imò plane ἀθεοῦ καὶ ἀθεολογῶ. Non enim impedit quod docet Aristoteles in posterioribus Analyticis: Accidentia propria in secundo modo per se esse: neq; id quod homini Porphyrius in suā Isagoge: ἴδιον εἶναι ἐφ' οὗ οὐκ ἀδεδάγηται καὶ τὸ μόνον καὶ πάντι καὶ ἀεί. Aliud enim est agere de demonstratione Ἐδὸς, ubi rōn semper præsupponitur: & aliud, in demonstratione τῆς οὐσίας, occupatum esse, ubi rōn inquiritur & investigatur. Deinde concedimus & damus libenter quamdiu causā naturalem nō impedit singulari suā operatione causa supernaturalis, per se semper edere effectū propriorum suorum accidentium, subiectoq; ista per se imberere, quippe quod ex se aliter nesciat agere natura, atq; hoc modo uni soli semper inest proprium: aliud verò est, quando supernaturale supernaturaliter in re

naturalis,

*turali, ejusq; causis operatur, quæadmodû Deus opt. maximus quãdo in naturalibus non naturalia effecta miraculosè producit, vel simili modo in mysteriis agit, de quibus non judicet humana ratio. Nã quæadmodû Deus in nullo prædicamẽto collocatur, quod sapientissimus Ethnicus Aristoteles observavit (licet à Ramo, qui Christianus esse voluit, hoc nomine in eruditè & insulse reprehendatur) ita etiam ejus actiones, & omnia ea, quæ divina sunt, in nullo prædicamento esse possunt, quod sint abyssus multa, & longè super captum humanæ mentis & intellectus, atq; adeo super unversam illius Regulam posita. Unde sciamus mysteria ista sacra quidem ad normam Logicam re vocari: at non logicè sed vix analogicè. Qui itaq; illam Analogiam, ubi ab ipsâ scripturâ datur, rectè observaverit; ubi autem non habetur, non introduxerit, ille feliciter & cum fructu uberrimo Organo hoc Rationis in sacrâ scripturâ explicandâ utipoteit, nempe non aliter, atq; ipsâ Ratione. Hoc quando tenetur in objectis locis Aristotelis & Porphyrii, veritas per se manifesta erit. Distingnuendum itaq; est in adducto exemplo inter demonstrationem Physicam & ocularem, & inter exhibitionem mysticam & sacramentalem. Illa sub Logicam considerationem cadit, hæc contra ex logicâ sequesti anda, quippe quæ simpliciter credenda. Luca itaq; 24. Christus suis discipulis, ut fidem illorum confirmaret, oculariter & physicè suum corpus demonstrat & ad palpandum videndumq; exhibet. Ratio: quia modo Physico adest: In S. Vero cœnâ longè aliter se res habet: ibi se non exhibet palpandû & videndum: Ratio: quia modo Physico non adest, sed mysticè*

& sacramentaliter. Qui modus quod à principio supernaturali  
 dependeat, non tollit naturalem corporis & sanguinis existentiam,  
 atq; ita de distinctis distinctè judicare, non confundere, jubet  
 Logicus. Porro Matth. 22. Servator noster Saducæos solertis-  
 simo Logico artificio confutavit: De resurrectione mor-  
 tuorum, inquit, non legistis, quod dictum est à Deo,  
 dicente vobis: Ego sum Deus Abraham & Deus Isaac  
 & Deus Jacob. Non est Deus mortuorum sed viventium.  
 Et additur, turbas audientes miratas esse in doctrinâ ejus.  
 Facile enim ex præmissis colligebant conclusionem: Abrahamum  
 vivere. Locus qui habetur Psalmo 2. (Deus dixit ad me, Fi-  
 lius meus es tu, hodie genui te) sine lumine logico non res-  
 etè intelligitur: adhibendum itaque: Cum Iehova habeat filium  
 unigenitum, necessario infertur Iehovam esse patrem: Relata  
 enim, inquit Logicus, simul sunt, & se mutuo ponunt & se mu-  
 tuo tollunt: Unde iterum infertur, si Iehova ab æterno fuerit pa-  
 ter, filium quoque ab æterno fuisse. Propheta Nathan Syllo-  
 gistico Iudicio accusans Regem Davidem, elegantissimâ argu-  
 mentatione, similitudine illustratâ utitur, 2. Reg. 12. Duo vi-  
 ri erant, inquit, in civitate una, unus dives, alter pau-  
 per: Dives habebat oves, & boves plurimos: Pau-  
 per autem nihil habebat omnino, præter ovem unam  
 parvulam, quam emerat & nutrierat. Cum au-  
 tem peregrinus quidam venisset ad divitem, par-  
 cens ille lumere de ovibus, & de bobus suis, ut ex-

hiberet



hiberet convivium peregrino illi, qui venerat ad se, tulit ovem viri pauperis, & præparavit cibos homini, qui venerat ad se. Iratus autem indignatione David adversus hominem illum nimis, dixit ad Nathan: Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc. *Hanc quando Rex David ex præmissâ similitudine & allegoriâ contexit Propositionem: Minorem mox subjicit Nathan: Tunc ille vir: Quam simul probat: Vriam enim Hethæum percussisti gladio filiorum Ammon, &c. Conclusionem intelligens Rex, statim ad Dei misericordiam confugit & exclamat: Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam, &c. Psal. 51. Et quid est illud, quod Christus dicit admilites: Si malè locutus sum, testificare de malo: si benè, cur vapulo? Nonne Syllogismus Hypotheticus & Dilemma est? Quàm dialecticum est hoc? Quid vobis videtur de Christo, cujus filius est? Davidisne? quo igitur modo David instinctu Spiritus eum Dominum suum appellat? Quid? Nonne Iehova ipse jubet, ut Aaron habeat **SCIENTIAM DISCERNENDI** inter sanctum & profanum? Eo profecto Dominus divinos mentis commendat in rebus sacris. Cum itaque Logice nihil aliud sit, quàm illius speculum,*

imago,

imago, & Instrumentum, utiq; & ipsa in doctrinâ cœlesti erit magnificanda. Eodem plane iudicio monet divus Apostolus suum Timotheum: *Stude, inquit, te ipsum probatum exhibere Deo operarium, non erubescens* *ὁρθολογιῶντα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας.* Quod dictum in præfatione sua Dialectica eruditè explicat Philippus & ad Logicen applicat.

Notatu quoque dignū, quod habet Apostolus Ro. 3. Arbitramur, inquit, fide justificari hominem absq; operib. Legis: *Vbi in Græco est λογικὴ θεοῦ; cuius mens: ex firmis, certis & immotis præmissis (præmiserat enim Apostolus fundamenta hujus Enunciationis) iustâ consequentiâ statuimus sive extrinsecus conclusionem, ad priora certa necessariò consequentem.* Atq; hoc est, quod respexit vir quidam ut pius, ita eruditissimus consultissimusq; quando dixit: *Neminem piè mori, nisi Dialecticum.* Oportet enim ut quilibet hoc modo λογικὴ θεοῦ, certam habeat dicitur promissionum divinarum, & subsumptione applicationem ad semetipsum faciat: unde tandem infallibili & irrefutabili consequentiâ, certus de remissione peccatorum & salute emittat spiritum suum in manus Domini.

Porrò non desuere in primitivâ Ecclesiâ, qui scholas publicas hinc inde constituendo doctrinam Religionis cum sobriâ solidâq; Philosophiâ & consequenter cum Logica conjungerent: Quales fuerunt Iustinus Martyr, ad miraculum eruditus Origenes, Chrysostomus, Hieronymus, Cyprianus, Rhetor ille magnus Augustinus, Euodius quoq; Episcopus Vzalensis in Africa Augustino familiaris, disputator subtilis fuit & acutus, ut ex

multis

multis Augustini locis colligitur, qui tandem ob summū ingenij acumē ex quodā Carthaginiensis Synodi decreto Legationē cum quodā Theodosio contra Donatistas obiens ab hæreticis & Paganis cum suo collegā casus est. Sisinnius Novatianorū Episcopus, vir eloquens & summus Philosophus, in Dialecticis fuit valdè exercitatus, ita, ut Eunomius hæreticus sæpe disputationes ejus vitavit. Cassandra fidelis Veneta, non solum ad Lyrā commodissimè concinnebat Latinos versus, quos ipsa magnā eruditione composuerat: verum etiā Patavii in Academiā disputando magnam laudē meruit, cum omnibus in omni doctrinarum genere appositè responderet. Taceo posteriore ætate celebres Theologos, Turpinum, Paulum Diacōnum & alios, magnum quoque Lutherum nostrum & solertissimum Philippum. Et ne multa: Testatur cottidiana experientia, majore dexteritate in S. literis versari eos, qui ex scholis Philosophorum & Logicorum prodeunt. Hinc Origenes utilitatem Philosophici studii apud semetipsum expertus, quando summā felicitate & celeritate disputandi cum hæreticis congregiebatur, ut manus vel invitū dare cogerentur, hortabatur ad studia Philosophiæ suos discipulos, nimirum sane quibus Hæreticis resistere non possent.

Valeant itaque illi fanatici & nihili homines, qui Pandoram quandam hæreseum, altercationum, errorum, & omnium denique incommodorum plenam fingunt Logicen: Valeant, inquam, rediivi isti Poëtae, qui olim fingebant, post ignem e cælo à Prometheo subductum, non solum faciliore in

Suidas

Fulg.  
lib. 8. c. 3.  
& Egn.  
lib. 8. c. 3.

F

victus

victus rationem à Diis immortalibus præreptam esse mortali-  
 bus: Verum multas insuper genus humanum invasisse cala-  
 mitates. Calumniatores enim isti, quid aliud faciunt, quàm  
 quod Deum invidiæ accusant, quâ non tantùm hominum com-  
 moda egro ferat animo: sed insuper etiam omni malorum ge-  
 nere illos obruat: In d' qui ex Ecclesia studium Logices ejici-  
 unt, Philistæos imitantur, qui ex Israelitarum finibus, om-  
 nes tractantes artes fabriles relegabant, ut ita omnibus  
 armis destitutis Israelitis nulla impofterum esset pugnandi fa-  
 cultas.

Objiciunt autem hîc autoritatem Apostoli, qui de præ-  
 dicatione Evangelii agens, per Interrogationem, cujus magna  
 vis inest in rejectionibus, inquit: πῶς σοφός; πῶς σοφιστής; ubi  
 sapiens? ubi disputator: & subjicit: Nonne infatua-  
 vit Deus sapientiam hujus mundi? Atque hoc ex di-  
 cto Esaiaë 29. ubi Iehova ipse dicit: Abolebo sapienti-  
 am sapientum & intelligentiam intelligentium tol-  
 lam è medio. Verùm hæc & similia, quæ ex sacris objici-  
 untur, tantùm de spiritualibus tum intelligantur tum accipi-  
 untur, de quibus semper verum est & erit illud: Animalis ho-  
 mo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei: Sunt enim ei stul-  
 titia, nec potest ea cognoscere, quia spiritualiter judican-  
 tur. Nihilominus tamen constat illud, quod monuimus, ad-  
 dere nimirum Logicen externam solertiam, ea quæ ex sacris &  
 spiritualibus desumuntur, proponendi, urgendi, defendendi. In  
 disciplina enim Logica accuratius quoque de doctrina cælesti,  
 miraculis

miraculis & similibus judicare possunt, ut docuit Alexandri-  
ni Philosophi exemplum, qui suâ eruditione & sapientiâ  
Evangelii doctrinam multum promovebat. Excipiunt alii:  
Si ἀκριβέστερον ἐκείνῃ doctrine de Christo in Logicâ disciplinâ  
instructo asserimus, tribuimus rationi humanæ peculiarem vim  
circa mysteria feliciter versandi: cum tamen Spiritus S. 1.  
Cor. 2. omnem δόξαμιν mysteria percipiendi rationi humane  
deroget: & Rom. 8. τὰ φρονήματα optimas mentis cogitatio-  
nes inimicitias adversus Deum pronunciet. Vera quidem sunt  
hæc: Non tamen censendum est, rationem propterea in Theolo-  
gia totam exuendam esse, & Evangelium destruere univer-  
sum hominis Intellectum. Non enim in verbo suo agit Deus  
per furorem Enthusiasticum: sed quemadmodum Dominus  
per vocem humanam ministerii multa spiritualia largitur &  
concedit hominibus, ipse solus efficaciter agens: ita idem Ie-  
boza per rationem, quæ per se impotens est ad percipienda,  
postquam captivata est in obsequium Christi 2. Cor. 10. il-  
luminataque divinitus, & tenebræ ejus sunt discussæ, poten-  
ter operatur. Laudamus itaque hic Logicen ut donum  
Dei, quodque cum ipsa per se nihil de rebus spiritualibus co-  
gnoscat, novis viribus à Deo acceptis, salutariter in Ecclesia  
usurpetur. Atque huc pertinet illud, quod graviter Spiritus  
S. Psal. 32. monet: Nolite fieri sicut equus & mulus,  
quibus non est intellectus. Quo profectò docetur, Ra-  
tionis in Theologia usum esse maximum, cum Spiritus S. sua  
opera per rectam rationem efficiat in hominibus. Etsi quidem

inficias ire nequimus, ut aliorum præstantissimorum Dei dono-  
 rum magnus sæpius abusus esse solet: ita etiam hac divinâ fa-  
 cultate homines malos ad impugnandam eam veritatem, cu-  
 jus adstruendæ gratia data est, pessimè abuti, quando divi-  
 nam majestatem temere scrutantur, ac in intima mysteria in-  
 tueri, illaque secundum normam hanc rationis examinare,  
 ponderare, æstimareque per omnia præsumunt. In quos gra-  
 viter animadvertit divina majestas: qui enim (dicitur Pro-  
 verbiorum 25) scrutator est majestatis, opprimetur à  
 gloria. Non tamen propterea istud arti nos imputare decet,  
 eamq; ex Ecclesie sinibus ejicere: sed potius nobis in men-  
 tem revocare id, quod Cicero lib. 1. de Inventione  
 in abusu Eloquentiæ faciendum mandat: quo indignius rem  
 honestissimam & rectissimam violat stultorum & improbo-  
 rum temeritas & audacia, eo vehementius, ne mali magno  
 cum detrimento bonorum & communi omnium pernicie plu-  
 rimum possint, huic studendum esse. Age verò, sumus  
 nos securi! exterminemus è Republ. Christianâ Logicæ uni-  
 versam! condemnemus eam ad Inferos! Profectò aliud  
 nihil nobis usu veniet, quàm quod hic monet Cicero malos  
 magno cum detrimento bonorum & communi omnium perni-  
 cie contra nos armis istis Logicæ usuros. Esauite, ho-  
 stes nostri insensissimi, nonne sunt diligentissimi Rerum  
 Logicarum inquirentes? nonne statim ab unguiculis su-

os discipulos in disciplina Logica informant exactissime :  
 nonne quomodo miro artificio in Sophisticen sui conuertenda  
 divina hæc scientia, monstrant diligentissime : nonne se contra  
 nos hoc unico presidio armare solent, in quantum fieri potest,  
 fortissime : Cum enim in sacris nihil possint, Cochurnis syllogi-  
 sticis & sophismatibus involutis desperatam suam causam de-  
 fendere, errores palpabiles tegere, falsaq; pro veris, intricatis  
 verborum & stropharū lenociniis & gyris obtrudere incautis,  
 unice laborant. Scire enim se solos omnia Logica existimant,  
 idq; propalā profiteri non verentur. Monet enim Costerus in suo  
 Eubirio, si cum Hæreticis (ita nos appellat pessimus iste  
 Hæresiarcha) certandum sit, urgendos eos esse formis syllogi-  
 sticis, ab illisq; Syllogisticas, sive ad formam, ut vociferantur,  
 responsiones extorquendas, quas cum dare non possint, addit,  
 quod in Dialecticā disciplinā malè sint informati & exercitati,  
 prorsus sunt victi, capti & prostigati. Hanc sui præceptoris  
 adhortationem observare voluerunt in nupero colloquio Ra-  
 tisbonensi colloquentes Iesuitæ, quando altā voce ingemina-  
 bant: ad formam, ad formam, ad formam! satis ridicu-  
 le & infeliciter. In eo enim & deprehendimus & reprehendi-  
 mus illorum pessimam ignorantiam & insulsam inscitiam.  
 Fonseca cujus Logicen magnificiunt Iesuitæ, distinguit cum  
 Aristotele argumenta in *ἐντεχνα* & *ἀτεχνα*. Artifi-  
 ciose vocat, quæ Dialectici arte & diligentia ex ipsâ que-  
 stione eliciuntur, quæ à Cicerone vocantur *Inlita* :



Artis vero expertia dicit ea, quæ non eruantur arte Dialecticâ ex ipsâ questione, sed extrinsecus assumuntur: unde remota & assumpta à Cicerone appellantur, & sunt auctoritates & testimonia. Quia itaque inventio horum simpliciter à Logice non est, dispositio cum reliquis non planè erit eadem, quòd dispositio inventionem sequatur & imitetur. Cum itaque scripturæ S. dicta sint auctoritates, sint testimonia, sufficiet, si tantùm allegentur, & posita syllogistica ratio iisdem, ut immotis hypothesibus confirmetur. Frustra igitur & ἀλόγως ad ea clamabitur: ad formam, ad formam. Atque omnino ad formam: quando allegata auctoritas sacra vel formam sophisticam solvit, vel quando dicta scripturæ in disputationibus Theologicis, ut immotæ hypotheses, quibus deinde omnis reliqua argumentatio superstruitur, supponuntur. Vbi non opus est ejusmodi hypotheses, syllogismorum etiam vel potius terminorum probationes syllogisticè disponere. Quod enim in scientiis sunt principia: id in Theologiâ sunt dicta scripturæ. Quemadmodum autem absurdum est juxta omnes Philosophos syllogisticâ structura demonstrare in aliquâ scientiâ principia propria: ita etiam absurdum erit in Theologiâ Theologica principia, quæ sunt auctoritates ac testimonia divina, syllogisticè demonstrare. Atque hoc est, quod innuit Hilarius lib. 5. de Trin: Ex verbis scripturæ sensum sequimur, ex sensu rationem & ex ratione veritatem apprehendimus. En Hilarius sensum scripturæ ponit fundamentum: supra quod statim extruit rationem, hoc est, argumentationem,

atque



atque tandem ex hac veritate elicit. Non itaq; tenemur dictum vel auctoritatem scripturæ syllogisticis formis illigare, sufficit, si quod ex dicto colligitur, ad syllogisticam structuram revocemus. Et quæ res indigeat syllogisticâ forma & Demonstratione docet etiam Themistius: Quæ cognoscuntur, inquit, trium possunt esse generum. Nonnulla ex sola vocum explicatione cognoscuntur, ut sunt plurima demonstrationum principia: nonnulla contrâ usq; adeo sunt abdita, ut, nisi demonstratione concludantur, minimè intelligantur. Tertium genus est intermedium earum rerum, quarum brevitatis cognoscenda obscurior est, quàm ut sola vocum apertâ cognitione comprehendantur: & notior, quàm ut demonstrationem postulent. Hæc aut divisione, aut exemplo, aut inductione, quæ omnes infirmæ sunt probationes, declarantur potius, quàm probentur, diciq; debent manifestationes potius, quam probationes. Imo & ipse Aristoteles, quia semper syllogisticis formis uti necessum non est, alios quoque argumentandi modos in prioribus Analyticis adfert, proponit, approbat. Verum enim vero Esauitæ, quod illi venustissime objicit Dn. D. Hunius, imitati sunt debitorem, qui ad iudicium vocatus ex suggestione Advocati, quoniam solvendo non erat, insaniam simulabat, & quæsitus nihil aliud respondebat, quàm BLE. Quod enim illi BLE, id Esauitis subministrante suo Advocato Sathanâ fuit forma  
 forma.

forma. Sæpius etiam illis Sophismata sua ostentantibus usi velle videtur, quod aliquando Studioso Logices vel potius Sophisticæ Parisiensi, qui domum re vocatus, ut suam sapientiam ostenderet, in mensâ patri assidens, cum duo ovis sorbilia essent allata: quid tuis opus erat, cum duo tantum simus? exclamavit. Patre mirante, quomodo tria esse diceret? Annon unum & duo sunt tria? subintulit. Tum pater: Ego igitur, fili, quia ovis delector, duo ista accipiam: tu tertio, si voles, utere.

Ita quoque nostri Theologi delectabantur scripturâ, non nescij, in illis vitam æternam contineri, relinquentes interim Iesuitumidis illis Sophistis suos imaginarios conceptus, vacuas opiniones & informes formas. Ad quid igitur mihi opus Logicâ, inquis, si non in omnibus disputationibus, ad illius normam & regulam rationes sunt pensitandæ? Hoc certe non prohibemus; imò hoc est, quod maximè urgemus, & discipulis nostris seriò inculcamus, nempe ipsis secundum formam Logicam disputandum esse & adversarium, ut juxta leges logicas sua proponat & disponat, urgendum & cogendum hoc tamen observato discrimine, adhibendam, imò etiam ab adversario petendam esse accuratissimam demonstrationem, formalemq; ad eam responsionem, scilicet ubi res est intricata, obscura & non omnibus obvia; quippe propter hujus veritatem inquirendam, evolvendam, inveniendamq; Methodus syllogistica primariò inventa est: Vbi autem veritas est plana, perspicua & intellectu facilis, imò omnibus cognita & perspecta, ibi ut non semper opus est

Syl-

Syllogisticâ demonstratione: ita neq; ad formam ut respondeatur, urgendum esse adversarium: Hoc enim qui faciunt, eo ipso sophisticam suam produnt. Dum enim cogunt adversarium demonstrare ea, quæ, vel quod prima sunt, demonstrari non possunt; vel quod satis manifesta, non debent, tempus labitur, auditor naso suspenditur, & fallitur, neq; propter veritatem, sed propter inanem gloriam obtinendam disputatur & contenditur. Fieri enim potest, ut hoc stratagemate is, qui pro veritate laborat & pugnat à scopo abducatur, vel plane involvatur, ut se extemplo extricare nesciat. Quàm difficilimum enim sepe numero sit ejusmodi Sycophantas, qui se instar Protei in omnes formas convertere norunt, convincere, testantur omnium eruditorum scripta. Poëta Herculem Iovis & Alcmena filium, cum alios multos magnosq; labores exantlasset, maximum difficilimumq; omnium Hydra Lernæa immani & formidabili bestia consumsisse fingunt, adduntq; eam Junonis instinctu ab Ate excitatam Herculi negotium ut faceretur, centum capitibus præditam fuisse, ita quidem ut uno dempto, infinita alia suppullarent, afflatuq; suo omnia obvia inficeret. Venustissima profectò fabula, quâ sapientissimi isti Poëta Sophistarum naturam depingere, quomodoq; veritatem contra illos defendendi maxima sit difficultas, judicare voluerunt. Per Hydram enim Sophistam intelligunt, monstrum re vera, quod sophismata ex sophismatibus tanquam nova capita progenerat, & ad turbandam veritatem monstruose obijcit. Eam autem Hydram Ate, nimirum noster Archechthros, dirus Sathan à Iove, nempe à

Deo opt. max. de cælo deturbatus, excitat, & cum mendix sit, & mendacij omnisq; sophisticæ parens, mille sophisticis capita vel tela ac artes suggerit & subministrat. Habitat in Lerna palude & antro tenebroso ista Hydra. Est enim tectus, astutus & callidus artifex Sophista: eoque vitari superariq; potest difficilissimus: tum quia in antro delitescit & in lucem non prodit, veritatemq; improbitate sua premit & opprimit: tum quia uno ejus capite amputato infinita alia falsarum opinionum, inscitie nequitieq; renascuntur. Quid ergo nobis faciendum? aut quodnam huic malo comparatum erit pharmacum, aut antidotum? Quod obsecro aliud, nisi arma Herculis fortissimi sapientissimiq;? Hic enim beneficio Minervæ monstrum illud horrendum atque ingens in lucem extractum transfodit. Et ut aliorum bonorum omnium; ita quoque veritatis eruditionisq; & sapientie omnis autor est Deus opt. max. quam tamen non sine maximis laboribus concedit hominibus. Quandoquidem & studioso sapientie dictum est: In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Hinc fingunt Minervam in Iovis cerebro latere: nec sine accersito Vulcano, studio nimirum adhibito ardenti atq; acri, sudoribusq; multis perducere posse. Producta autem Minerva non Hydram modo Herculi commonstrat: verum etiam eum pharetra, telis acutissimis referta instruit: Eruditione nimirum, artiumq; multarum scientia & præcipue studio Logices. Addit insuper clypeum Gorgonis capite insignitum, quo memorabile quid significatum fuit antiquis. Viderunt nempe sapientem hominem sceleratis hominibus plerumq; formidolosum esse. Quemadmodum enim Perseus prolato & monstrato Gorgonis capite

omnes hostes suos in statuas commutavit: ita maxime hominum prudentem & Philosophiæ laude insignem nihil non posse adversus hostiles astutias crediderunt. Et quemadmodum Gorgonis capite amputato repente Pegasus ex sanguine exiliit, cujus ungula percussa terra fontem caballinum effudit: Ita prudenter Philosophiæ caput fontes & latices sapientiæ emississe asseritur, è quorum rivulis doctorum virorum ora irrigata magnas sui admirationes excitârunt: Quando intelligunt, demonstrantq; non opus esse armorum à Minerva acceptorum tantum possessione: sed congressione quoq; & dimicatione; telis etiam opus esse atque hastis, quæ penetrant, quæ vulnerant, quæ prosterunt, quæ conficiunt adversarium: opus deniq; esse ad eandem rem ut Gorgonis capite, ita & leonina pelle, animo nimirum erecto, constante, firmo, laborumq; patiente. Vnde autem acquiritur talis animus, talis habitus? Nullo alio medio, quàm si ea, quæ didicimus & tenemus in Philosophia, in Medicina, in Iurisprudencia, in Theologia quoq; ad disputationis examen, quod in usu præceptorum Logicorum consistit, revocabimus. Disputationis enim Exercitium falsas in animo conceptas opiniones corrigit, ingeniorum acumen auget, animum presentem in rebus arduis, cum in publico tractandæ sunt, addit, cui libet veritatis Thronum monstrat, facundiam facultatemq; loquendi alit. In Disputationibus enim conferuntur sententiæ cum aliis, multorum audiuntur judicia, sæpius optima verborum lege, significanter, proprie: Imo ibi quasi cornu effunditur, quicquid in re aliqua est *επισητον*, proponitur & explicatur status controversiæ, est ibi ἀπορία, λύσις των εναντιων, unde ad *επαγγελίαν*, *ευρησιν τῆς ἀληθείας* via & fenestra aperitur, ut & in Ethicis & in Metaphysicis gravissimè testatur Aristoteles.

Hæc cum ita sint, auditores, sic vobis persuadete, sic existimate, nihil utilius & Ecclesiæ & humanae societati esse Philosophiâ & Logicæ. Testis est sapiens antiquitas quæ in eo uno tota fuit, ut se Philosophiæ & Logicæ studiis posteritati commendaret: testis est Ecclesiæ, quam horrendâ

barbarie oppressam & obscuratam sincerior Logice adjuvit: Testis est politia, quam multis periculorum nexibus intricatam & pene prostratam disertissimi Iurisperiti & Philosophi Logici extulerunt, explicarunt, ab incendio & interitu vindicarunt, florentemq; conseruarunt: Testes sunt omnis generis disciplina & facultates, quae tum maxime viguerunt, & per totum terrarum orbem illuxerunt, quando acutissimi veritatis indagatores Logici eas libris eruditissimis explicarunt, linguâ disertissimâ & voce doctissimâ publicè docuerunt, quaeq; utilitati hominum se seruire negant, si comite suâ Logice destituantur.

Vt enim rem universam in partes apte distribuas, Logica est: ut latentem definiendo explices, Logica est: ut ambiguas cernas falsasq; in animo opiniones corrigas, Logica est: ut confusa commodè distinguas, verag; à falsis dijudices, Logica est: ut veritatis arcem occupes, mendacium contrâ expellas, Logica est: ut perfectam rerum scientiam, qua hominem à peratâstov efficit, consequaris, Logica est. Hac mentem perficit, ingenium expolit, iudicium acuit. Quocirca vos, qui aliquando populi doctores, qui Reipubl. gubernatores, qui Philosophie facultatumq; Professores futuri estis, vos, inquam apello precorq; ut Logicem ambabus ulnis apprehendatis, ametis, foveatis, exerceatis, huic omnes dies & noctes impendatis. Hoc praecipue in primo studiorum vestrorum cursu sit vestrum ocium, vestrum negotium: in hoc labor, in hoc quies reponatur: si apud vos sancta est antiquitatis autoritas, si vobis cura cordiq; est Ecclesiae salus, Reipubl. felicitas, Philosophie incolunitas. D I X I.

### Errata.

Pag. 9. lin. 6. alercationum. p. 19. l. pen. indicunt. p. 20. l. 2. non sine nausia.  
p. 22. l. 13. cap. 3. o. ibid. l. ult. *Us in dno s. o. rector d. e. s. p. 25. l. promicondi. p. 27. l. 7.*  
pro maximo lege. *ibi. ibid. l. 8. pro exemplo lege maximo p. 29. l. 4. Ut in ijs quoq; &c.*

153456

ULB Halle

002 677 407

3



VD 77



**C**ommunicantes et noctem usque dicimus  
gratissimam celebrantes. qua bea-  
re incorrupta virginitas. huius mundi  
salvatore. Sed et memoriam venerante  
mus eiusdem gloriose semp virginis mar-  
tris. eiusdem dei. et domini nostri ihesu christi. Sed et  
torum apostolorum tuorum

**C**ommunicantes. et diem sacramentum celebra-  
tes. quo unigenitus tuus in tua terra gloria. doc-  
tus in veritate carnis nostre visibiliter carne  
apparuit. Sed et memoriam

**C**ommunicantes et diem sacramentum celebra-  
tes. quo dominus noster ihesus christus pro nobis est  
Sed et memoriam. Hanc igitur oblationem



Inches  
Centimetres



Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

22.



IACOBI MARTINI SAXONIS, PROFESSORIS LOGICI

Oratio

DE UTILITATE ET NECESSITATE LOGICES,

habita

In praelectionis Logicae auspiciis anno 1602.  
d. 2. Augusti h. 9.



WVITEBERGÆ

Typis Cratonianis, per Iohannem Gorman.

ANNO 1606.